

Lit.
rec.
666

100

Boetiae Lat. rec. 865¹

1223

J. GOTTLOB BOEHM

C. R. M. V. M.

W. J. B. M. V. M.

W. J. B. M. V. M.

W. J. B. M. V. M.

W. J. B. M. V. M.

IO. GÖTTLOB BOEHMII

A. M

CARMINVM
LATINORVM

SPECIMEN



L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIANA

IO. GOTTLIEB BOHM

1719
MAY 12 1719

IO. GOTTLIEB BOHM
BIBLIOTHECA
MUSEI
HISTORICO-NATURALIS
SACIS
DRESDEN
1719

ILLVSTRISSIMO DOMINO
IOHANNI ADOLPHO

S. R. I. COMITI

A B L O S S

L. M. Q. C

IL VESTIMENTO DONNO
OHAVVI ADOLFO

2220

1880

ILLVSTRISSIME COMES

Quae scripta mihi sunt Car-
mina Latina, maximam
partem, ex quo *TE cum, ILLV*
STRISSIME COMES Musarum

* 3

per-

per agro loca, illa equidem ausim nunc,
qualiacumque, nomini dicata **TVO**
lectoribus credere. Habes omnino hoc,
tanto Parente genitus, ac Matre illa,
cuius pectus **Dii**, Deaeque,

Quinta parte sui nectaris imbuunt,
ut, sicuti egregia quaeuis, ita litte-
rarum adprime studia, illas que velut
hilarioris frontis Musas, validissime
ames, ac, dextro Apolline, ipse adeo
diligenter tractes. Me vero, quamuis
et hoc fuerit incitamento, hasce ut
graciles Camenas **TIBI DVLCE**
DECVS

*DECVS MEVM vnice consecrem,
impulit praeterea ipsa omnino amicitia
illa, qua me, inde a pluribus annis,
socium omnis vitae, ac studiorum, sua-
uissime es prosequutus. Iam TV leui
huic libello, pro TVA in me volun-
tate, frontem facilem porrigas: in
quo certe gratam TIBI futuram
confidimus nostram, erga maximum
Patrem, diuinitus datum TIBI de-
mississimam pietatem. Immortale Nu-
men Illustrissimos Parentes sospites
conseruet TIBI TE que illis, in Il-
* 4 lustris-*

lustrissimae Gentis delictium, ac decus!

*Vale, mihi que, TVI studiosissimo, ac
meis Camenis, porro faue. Scrib.*

Lipsiae, prid. Id. Dec. A. R. S

MDCCCXXXIX

ILLVSTRISIME COMES

T I B I

ADDICTISSIMVS

IO. GOTTLOB BOEHME

Lectori S



In magno poetarum, quem
aetas adtulit nostra, pro-
uentu, quum et ego ad
praesens, qui nec somniaui in Parnas-
so bicipiti,

Nec fonte labra prolui Caballino,
Camenarum aliquid, abditum huc
vsque, et sic forte melius situm, non
dubitarim extra limen proferre; pos-
fet

set omnino naso excusso mea haec sus-
pendi audentia, aut certe ab doctis
rerum aestimatoribus reprehendi.
Procul equidem ipse, dum mecum
habito, ambitione absum illa, ut, ho-
minem me, cui nec mens diuinior,
neque magna os sonaturum, aliquo
numero, vatum in sacro choro, esse,
existimem. Nec ductum tamen, in-
de a teneris, singulari amore in

Pieriosque dies, et, habentes car-

mina, Musas,

negauerim: illique ut fides professio-

ni

ni constet sua, Latinorum hoc Specimen Carminum lectoribus trado, amicis maxime meis; quorum, si quod esset, nec supercilium formidarem. Sed dabunt hi certe, quibus animas haud noui candidiores, versiculis parum venustis, nec scriptis auspice Musa, facilem veniam: atque, reliquae iis dum dotes desunt, gratum animum, et fidum bene mutuis pectus amoribus, imputabunt. Quodsi contigerit succincto libello esse tam felici, ut aliis quoque viris doctis, ac sacerdoti-

dotibus Musarum, haud prorsus displiceat, summam eorum beneuolentiae, ac humanitati, persoluam gratiam, atque, vt ille ait,

Sublimi feriam sidera vertice.



CAR.

CARMINVM LATINORVM
SPECIMEN

CALENDARIVM LATEINORVM

ET ALIARVM



ILLVSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO
D O M I N O
H E N R I C O
S. R. I. COMITI
A B R V H L
AMICORVM REGIS PRINCIPI

*De hortulis, ac bibliotheca, Dresdae, palatio ipsius contiguus. **



Quod dudum imperio Dirae que, Horror-
que, tenebant,
Mars que, immotum, ingens, vrbis
munimina, saxum,
Nympharum formosa domus se tollit in auras,
Immensos inter sumtus, quae gratia rerum!
Cessisti, metuende armis: simul omnia rident.

A 2

Hic



Hic ver purpureum, pictis hic terra tapetis,
 Et Zephyri, et virides ramorum foedera in umbras,
 Inuitant Dryadum que choros, turbam que Deorum.

Vos quoque, queis studium est digno memorare co-
 thurno

Bruhliadum laudes, aeterna que nomina, Musae,
 Lautitias inter tantas, augusta tenetis
 Tecta, loci que opibus captae, Domini que fauore.

O fortunatos ciues, pacis que profundae
 Securos, quorum surgunt in moenibus horti!
 Augustum celebrate omnes: ter soluite dignas
 Bruhliadum meritis, pleno de pectore, grates:
 Per quos parta quies populo, et Saturnia regna.

Dresdae, a. d. \overline{v} . Kal. Aprilis, A. C. N

C I D I D C C X X X V

* Animus iam olim erat, quale- dit. Illos ego, diligentissime re-
 cumque hoc carmen, typis exscri- tractatos, sed vix mei amplius, quip-
 ptum, publicare: tumque, elegan- pe exilis, ingenii opus, nolim Mu-
 tius vt prodiret, limandum, perpo- sarum cultoribus inuidere: maxi-
 liendum que CL. CHRISTIO omnis me, quum veniam euulgandi pa-
 Musae ornamento, ἀνάγνωμος trans- riter eos, ac litteras, tum ad me
 miseram. Adfuit is, pro sua insigni humanissime scriptas, ab Amplissi-
 humanitate, precibus nostris, et, qui mo Viro impetrarim. Ita vero ha-
 deerat, versiculis splendorem de- bent:

POETAE



P O E T A E A N O N Y M O

S . P . D

C H R I S T I V S

Honcstiffimum est, quod postulas, atque ideo nulla
 in me mora fuit, quin, quod voluisti, fieret.
 Epigramma quidem tuum concinnum satis, ac Latinum,
 tum praesertim pulcro, vero que sententiae tenore pro-
 bandum, facile carere me arbitro poterat. Tamen,
 quia, inter alia ingenii tui ac doctrinae bona, quanti sit
 facienda scribendi cura, stili que saepe vertendi ratio, vi-
 deris perspexisse, nolui deesse officio, dedi que operam,
 ut versus tentarem singulos, ea que ut annotarem, quae
 in verbis, in numeris, in sententia, rotundiora, aut ple-
 niora expediri posse videbantur. Ita que eam retracta-
 tam epigrammatis tui formam, in alia tabella, scripsi,
 quae, cum hac epistola, reddetur tibi. Rationem edere
 sigillatim eorum, quae, quo consilio, induxi, transtuli,
 A 3 reposui,



reposui, longum esset futurum scribenti, superuacaneum
autem coram idoneis cognitoribus causam dicenti. Te
vero etiam in tuo opere rectum videre, reor. Per te
ergo pleraque, qualia sint, iudicabis, tuoque arbitrio
verissima quaeque optima habebis. Siue totum, hac no-
ua facie, placeat; seu pars inde prioribus interpolandis
sumatur; seu meliora omnia in haec vestigia succedant:
adopta, utere, conuerte, ut lubet. Tuum est istud,
quidquid est. Vale. Lipsiae, d. xxx. Martii

A. C. N. MDCCCXXXV

* * * * *

Quod Pauor imperiis dudum, Pallor que, tenebant,
Ingentes que minae pinnarum, horrentia que arma,
Quod Mauors vrbis posuit munimina saxum,
Nympharum nunc pulcra domus quo numine surgit?
Tam bene regali venit noua gratia sumtu!
Tam bene pacato gladii cessistis honori!

Hic ver perpetuum, pictis humus ipsa tapetis
Se variat, iunctis pendent e frondibus umbrae,

Nil



?


*Nil tamen obsistit gratum spirantibus auris:
Cuncta fauent volucris que deo, Charitumque choreis.
Vos quoque, quae citharae nervis, vel voce, paratis
Bruliadum laudes victuras dicere, Musae,
Munditias inter maiores, tecta tenetis,
Ingenio que loci captae, Domini que fauore.*

*O fortunatos nimium, pacis que profundae
Securos, quorum haec muris violaria florent!
Augusti vobis bonitas ea tempora fecit.
Id memorate pii, nec non et promite dignas
Bruliadum meritis, e grato pectore, voces.
Horum opus est populis regem praebere benignum,
Qui belli medios inter consulta furores
Seruat, et armipotens celebrat Saturnia regna.*



A 4

ILLV.



ILLVSTRISSIMI ET EXCELLENTISSIMI
 VIRI
 ERN. CHRISTOPH
 S. R. I. COMITIS
 A MANTEVFFEL
 PIIS MANIBVS
 S



nil potuere preces; frustra prouoluimur aris:
 Heu! frustra Superis tot pia thura damus.
 Heu! rapiunt aurae volucres vota, irrita vota:
 Quae mihi fingebam gaudia, vana cadunt.
 Occubuit Procerumque decus, Phoebi que voluptas!
 Occubuit columen, Lipsia docta, tuum!
 Qui Pyliam meruit, simili virtute, senectam,
 Conditus heu! tumulo, nunc leuis vmbra, suo est.
 Ah! tantam poteras quam nunc admittere culpam,
 Lipsia? Cur poenas sic miseranda luis?
 Ah! tenero quondam qui te dignatus amore,
 Ereptus Musis cur fuit ille tuis?

Heu!



Heu! iuueni fueras olim dulcissima sedes:

Et sedes fueras, deliciae que, seni.

Tu dederas auido sacras Permessidos vndas:

Formarantque artes pectora tanta tuae,

Pectora plena Deo, cunctis habitata Camenis,

Et tibi, sanctus Honos, et tibi, rara Fides.

Hoc erat ingenio decus altae, Cilnius, Urbis,

Dum bene Romuleae consulit ille rei.

Hoc erat ingenio, magni dum Caesaris aulam

Ornat, et Aoniis dum fauet ille choris.

O! quoties per te, superis nunc reddite Diuis,

Spes quoque Saxonibus laeta, salus que, fuit!

Quantus eras, tanti tot Principis inter amicos!

Tot Proceres inter, gloria quanta tibi!

Tum quoque fortunae posito tibi culmine summo,

Eximium docta nomen ab arte venit.


Tum quoque Castalides, fessum te rebus agendis,

Et cytharis mulcent, carminibus que suis.

Sic bene cum Musis splendenti conuenit aulae:

Sic bene curarum pondera, Phoebe, leuas.

Esto procul, quisquis, cultu que et fronte superbus,



Spernis Apollinei ferta, lyras que, chori.
 At tibi, sancte Senex, nostrae tutela Camenae,
 Omnis in ingenua mox abit arte dies.
 Ad doctas que redis, gratum tibi nomen, Athenas;
 Et redeunt Musis tempora laeta tuis.
 Maius erat meruisse, tamen deponere, honores,
 Atque intra sortem viuere velle suam.
 Hi tibi secessus, haec docta caterua, placebant:
 Ah! placeat magnis docta caterua viris!
 Non sumus immemores vestri pia turba fauoris:
 Munera magna datis; munera magna damus.
 Per nos, vestra legent illustria facta nepotes:
 Et noscet vestrum terra remota decus.
 Ante alios, diuine Senex, tua nomina dicam,
 Et referet dotes pagina nostra tuas.
 Ah! modo nunc Superi tibi tempora plura dedissent!
 Et tegetet funus serior vrna tuum!
 At reuocant auersa Virum iam Numina, summo
 Quamquam sic rutilant sidera multa polo.
 Iam sedet aethereis pars adfociata cateruis,
 Et noua purpureo lumine stella micat.

Per-



Perfruere aeternum, quem nunc miraris, Olympo,

Magna anima, et Diuum gaudia tanta cape!

At tibi si qua manet coelesti cura tuorum,

Adspice tot lacrimas, ad tua busta, pias.

Squallentes Musas, moerentemque adspice Pindum:

Deferit vt lauros tristis Apollo suas.

Plectra silent, choreaeque absunt, cantusque sonori:

Heu mihi! sic miseris it, sine luce, dies.

Sola ades, in comtos, Elegeia, scissa capillos:


Adsis! et querulis carmina pange modis.

Nos dabimus violas tumulo, moestasque cupressos:

Dicemusque omnes; Molliter ossa cubent!



MEMO-



MEMORIAE AETERNAE
EIVSD. VIRI ILLVSTRIS



Dum tibi Castalidum chorus omnis, et aurea Virtus,
Et, quas fouisti, Sophiae que, et Apollinis, Artes,
Iusta parant, nostras nec despice, Diue, cupressos.

Sint alii, celebrande Senex, longo ordine, vates,
Diuini vates, soboles certissima Phoebi,
Qui nomen, laudes que tuas, praeclara que facta,
Immensas que animi dotes, titulos que superbos,
Munera que, aeterno, super aethera, carmine tollant.
Dicant postgenitis, annosa volumina, fasti,
Tot praeter curas, ac tanta negotia, Musae
Egregium studium, et magnae virtutis amorem,
Te que Camenarum decus immortale remotis
Ostendant terris. Ipsae, tua Numina, Musae,
Ipse adeo insignis plectro tibi Cynthus aureo
Cantent. Non ea vis, nec tanta potentia, nobis.
Me tacitum coluisse tuae tot nomina laudis,
Diue, iuuat, lacrimis que piis tua spargere busta,
Corde que sub memori nostri seruare fauorem.

Contegat ossa leuis tellus tua, mensque, cateruis
Immixta aethereis, Diuum nunc gaudia captet!



GENIO



GENIO BENEFICO

ILLVSTRISSIMI ET EXCELLENTISSIMI VIRI
CHRIST. S. R. I. COM. AB LOSS

[COMITIS CONSISTORIANI ETC

PRID. ID. DEC. A. O. R. CIDIDCCXXXII



Candida lux oritur: Genium quae sacra piabunt?
Quae iam grata feret pingua dona manus?
Heu! heu! nec niueae soboles mihi candida vaccae:

Nec salit ante meos agna tenella pedes.

Rege sub antiquo, non sunt mihi condita Bacchi

Munera: non Hyblae ponere mella licet.

Nec licet aetherias pia spargere thura per auras:

Et vetor hiberno nectere ferta Ioue.

Quid faciam! Tenui Genium celebrare Camena

Sit fatis, et raucae tangere fila lyrae.

Audiat haec, adsit que fauens, placidus que; proterui,

Nec finat, abripiant irrita vota Noti.

Magne Geni, sic saepe, precor, tua sacra, reuertant:


Sic tibi fumabit thuricremusque focus.

Sit que comes tibi, sancte, Salus: ac pone sequantur

Gaudia, puniceis tempora cincta rosis.



P R O



P R O

ILLVSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO VIRO
CHRIST. S. R. I. COM. A B LOSS

V O T V M

IPSIS KAL. IANVAR. A. C. N. CIOIDCCXXXIII



Iane, tuae, niueis auibus, venire Kalendae:
Explicuit magnum sic bene Phoebus iter.

Ianus ades, dapibus, veteri que colendus Iaccho:

Te sibi muneribus foemina vir que vocant.

Nos quoque, luce sacra, plenis aduoluimur aris,

Quae tua bis senae numina, Sancte, piant.

Et bene Loffiadem! magna ter voce ciemus:

Et bene Loffiadem! vocis imago refert.

Cui, licet antiquae clarissima nomina gentis,

Maior ab immensa gloria mente venit.

Et cui tantarum sollers prudentia rerum:

Et cui Pierides dulce dedere loqui.

Adnue nunc precibus: te, per patriae que salutem,

Perque ego te vultus obsecro, Iane, tuos.

Sic furor aufugiat Martis: Pax aurea regnet;

Claudat et aeratis Pax tua templa feris.






A D

ILLVSTRIS. ET EXCELLENTIS. VIRVM
CHRIST. S. R. I. COM. A B LOSS

A. D. XVII. KAL. APRIL. A. C. CIOIOCCXXXIII




Iure sollemnis mihi, dulciusque
Omnibus ridet bona lux Kalendis,
Fronte, Maecenas, tua quae ferendo
Nomina fulget.

Quid prius poscam Superos salute
Illius, nostrae cui cura gentis,
Cura neglectae data summa pacis,
Principe nostro?

Sis diu felix, patriaeque longum
Otium praestes: et amica nostris,
Docte Maecenas, duce te, reuertant
Tempora Musis!



EX.



EXCELLENTISSIMI VIRI
 CHRISTIANI
 S. R. I. COMITIS
 ABLOSSS
 GENIO VOTVM SOLVIT

FRID. ID. DEC. A. R. S. CIDIDCCXXXIII

* * * * *

Ecce! iterum natalis adest, natalis ad aras,
 Ecce! iterum, plenas thuris, agendus adest.

Nulla mora est: compone focum; facer ardeat herbas

Ignis; et e lauro, Pieri, ferta legas.

Muneribus carmen nec desit: Magna Tonantis

Dextra fouet tantum, sic foueatque, virum!

Vidimus, vt placidum, dulci cum coniuge, tempus

Illius inter agat delitiasque suas.

Vt nec cura vigil, centum nec pondera rerum,

Non vno, frangant pectora, plena Deo.

Commoda quam patriae bene sunt his fulta lacertis!

His quoque vel grauius sic bene fertur onus.

His bene consiliis speramus. Plaudite ciues,

Et bona sollempni dicite verba die.

Saxo-



Saxonici gaudete viri; date ferta patrono;

Et meritum memori figite corde suum.

Quis nunc funestos, Augusto sospite, casus,

Te duce, quis patriae dira pericla timet?

Tristis Erynnis abest; nostris Mars exfulat aruis:

Exfulet! atque alios barbara tela petant!

Pax Cererem colit, et credit Pax femina fulcis:

Aurea Pax laetae munera vitis alit.

Ecquis Apollineis inter vacat arma puellis?

Pacem amat innocuam, carmina quisquis amat.

Pace lyrae, cantusque sonant; chorus undique vatum

Artibus inuigilat, Calliopea, tuis.

O! tantum liceat nostris te dicere Musis,

Maecenas, aevi gloria prima tui.

Tum genus, ac, per te, veterum clarissima laudum,

Aucta ego cantando nomina dicar olor.

Sed nostra immensi metuit ratis aequoris vndas:

Arte nec Icaria solis adibo domus.


Ah, modo Dii tantae virtuti tempora donent,

Et longum patriae te superesse sinant!

Viue tuis: saluumque breui te fata reducant!

Pascitur in reditus victima sacra tuos.





EPIBATERIVM

A D

ILLVSTRIS. ET EXCELLENTIS. VIRVM
CHRIST. S. R. I. COM. AB LOSS
EX SPLENDIDIS. LEGATIONE REDVCEM

IPSIS KAL. IANVAR. A. C. N. CIDIDCCXXXIV

Nomine alieno.



Hoc erat in votis: Superos hoc vsque precati,
Incolumis patriam repetas, caros que Penates,
Praesenti tibi sollemnes largimur honores.

Salve igitur, dilecte Parens; his reddite terris,
Et desideriiis, salve, nunc reddite nostris!
O quibus excipiam verbis? quo carmine possim
Aduentum celebrare tuum, celebrare tuorum
Gaudia que, et loca cuncta domus resonantia plausu?
Quae noua nunc rerum facies? Noua sidera cerno,
Et procedentes, puro cum lumine, soles.
Iam que redis; redeunt pretiosum tempora in aurum;
Iam metus, et tristi fugiunt suspiria fronte;
Et sine luce dies, et longa silentia defunt.

Heu



Heu mihi! qualis erat quondam fortuna tuorum!
Vt queruli inuisum tacita tum tempus in vmbra,
Te sine, condidimus, mea nunc solatia solus!
Squallidus (horresco referens, tremor occupat artus)
Vndique regnabat moeror: noctis que profundae
Incubuit formido tuis, Pater optime, tectis.
Adspice, vt Icarii nauem maris aequor arantem,
Et viduam rectore suo, timidam que procellae,
Aeolii fratres, elapsi carceris antro,
Cognata que acie, inter se, pugnare parati,
Immensae, fremitu vasto, formidinis implent,
Mox scopulo illidunt, iam iam que resolvere tentant.
Sic fuimus tua turba, Pater: te quippe remoto,
Qui, procul hinc magni Regis data iussa sequutus,
Haud ita respiceres nos, nostra que, totus in illis.

Tu quoque, sancta Parens, Gentis spes altera nostrae,
Informi luctu, atque atris circumdata curis,
Quaestis Deos, atque astra vocans crudelia, comas
Scissa comas, fletu que finis, penetrabile replesti
Infando gemitu, dulci disiuncta marito.

Est aliquid, fateor, fidos nunc inter amicos,



Nunc alacri studio, nunc spe, contundere curas:
 Vt pia Penelope, pensis tenui que Mineruae,
 Annofas, operata, moras folatur Vlyffeï.
 Haec illam medicina iuuet: nil proficis iftis;
 Atque, die noctu que, graui confecta dolore,
 Abfentem loqueris coniux moeftiffima amorem;
 Abfentem, per inane domus, gemebunda requiris;
 Et monimenta videns, patrios fimulantia vultus,
 Adftas, atque haeres oculis, langues que videndo,
 Languendo que peris, et fic tandem ore profaris:
 Quando ego te adfpiciam, Coniux? quando que licebit
 Nunc collo pendere tuo, pendere lacertis,
 Alloquiis que frui blandis, inter que loquendum,
 Oscula luminibus, nunc oscula ponere labris?
 O, qui complexus reducis! quae gaudia tanta!
 Quae mihi narrabit! nos quae narrabimus! omnes
 Votiuum falue, falue, ampla voce, cientes.


Vota cadunt: en! foſpes adefl; atque ora tueri
 Blanda Patris, facilemque datur contingere dextram.
 Vt, canae quum, vere nouo, fugere pruinae,
 Nec gelidis furiunt immites imbribus Auſtri,

Her-

Herbescunt laetae segetes, atque vndique surgit
 Aureus, in pratis, decor, et sua lumina filuis
 Redduntur, Dryades que, ac cetera rura, choreas,
 Per campos, ducunt, intonsa que culmina montis,
 Festiuo que omnes feriunt vastum aethera cantu:
 Omnia sic rident; sic te, dilecte, reuerso,
 Nos, tua progenies, cuncti exsultamus ouantes.

Salue iterum, dilecte Parens, decus omne tuorum,
 O, et deliciae, et rerum tutela mearum!
 Salue iterum, Genitor, patriis nouus hospes in oris!
 Indulge nitidis Laribus; tibi Numina fortem
 Dent animum, dignosque tuis virtutibus annos!
 Sic festis dabimus, laeti, tibi grata Kalendis
 Munera, dicemus que sacro tibi carmina pleetro.





A D

ILLVSTRIS. ET EXCELLENTIS. VIRVM
CHRIST. S. R. I. COM. AB LOSS

O D E



Siderum rector, decus omne coeli,
Phoebe, procedas, nitido que curru
Impiger sacram, sine nube, lucem,

Auree, promas.

En! odorato focus igne spendet:

Stant Lares, vineti variis capillos

Floribus: gestit domus, atque festo

Carmine gaudet.

Iam meae, si quid loquor audiendum,

Concinunt, mistis fidibus, Camenae:

Sacra lux salve! Decus o tuorum,

Ter mihi salve!

Pone curarum nimium seuera;

Iam que, Maecenas, fuge cogitare,

Francici quid nunc minitentur irae

Martis, et arma?

Quid,

Quid, potens belli studiis, Iberus
 Audeat? quae nunc freta bellicosae
 Territent classes? quibus aut vagetur

Hunnus in oris?

Excidat dextris furor, atque caedes,
 Quae piae dudum melius coirent:
 Otio miles placido fruatur,

Abditus vrbe!

Audiant Diui, prece quae rogamus:
 Prosperent curas, super heu! ruentis
 Imperi rebus, miseris que fata

Dent bona terris!

Cum tuis, longum valeas in aeuum,
 Summe Maecenas! decus et tuarum
 Lucidum laudum teneat paterni


Nominis heres!









I N N A T A L E M
EXCELLENTISSIMI ET ILLVSTRISSIMI VIRI
CHRIST. S. R. I. COM. AB LOSS
HENDECASYLLABI






O

, lux candidula, et voluptuosa!




O, et deliciae, mei que amores,
 Et desiderium, meum que votum,
 Natalis, decus omnium dierum!

At quis te reducem modis colemus,
 Formosissima lux, dies beata?

Sacram tibi thura, victimas que:
 Sacram numeros tibi trecentos,
 Dein mille alios, dein trecentos,
 Omnes dulciculos, venustulos que.

Adeste, Hendecasyllabi, quot estis
 Omnes dulciculi, venustuli que!
 Adeste, Aonides, quot estis omnes!
 Dicamus dominum, decus que nostrum!
 Dicamus domini optimos Decembres!

At,

At, o verficuli que, Virgines que,
 Quae vos nunc loca, quae tenent tenebrae?
 Vos in montibus, in palatiis que,
 Vos quaefiuimus omnibus libellis.
 Quae vos nunc loca, quae tenent tenebrae?
 O factum male! o malae tenebrae!
 O durum genus! inuidae Camenae!

At vobis bene fit, boni Decembres!
 Natalis tibi! quippe cui clientes
 Debemus dominum, decusque nostrum.
 Dii te, cum domino, boni secudent,
 O lux candidula, et voluptuofa!





I N

ILLVSTRISSIMI ET EXCELLENTISSIMI VIRI
CHRIST. S. R. I. COM. A B LOSS

SACRA NOMINALIA

PRID. ID. MAII, A. C. N. CIDIDCCXXXV

* * * * *

Et merito luci sacrae meditabar honores,
Serta que carpebam, vastum et tibi pendere
carmen,

Romanum carmen, partae praeconia laudis,
Tentabam. Renuunt nostrae, tua turba, Camenae,
Haud rerum immemores tantarum, Numine dextro,
Quas patriae trañas ac toti commodus orbi:
Abiiciunt que tubas, et plestra tacentia ponunt.

Tantum thura bonis, te propter, maxime, Diuis
Ampla ferunt; coelo que pii sparguntur odores.

O, qui Saxonidum es decus indelebile, Lossi,
Cui Rex, cui populus, votis ardentibus, vni,
Tot Proceres inter, cunctos virtute verendos,
Consilio illustres cunctos, mox Marte subacto,

Foederis




Foederis atque altae commisit pondera pacis,
Vsque vale, miserasque beent longa otia terras!


Vota cadunt: Pacem video, Pacis que ministras,
Late, per populos, albis incedere bigis,
Et Cererem ditare agros, atque, ordine longo,
Cum Nymphis, Satyros, per pingua rura, choreas
Ducere. Bella silent: antro Mars clauditur aereo,
Atque, sedens super arma, fremit, diras que catenas
Mandit, et, indocilis flecti, in sua viscera faeuit.

Tu quoque permixtus, Dium fate sanguine, turbae,
Ingredere, veste in niuea, spectabilis vnus
Insigni forma, dextramque ornatus oliuae
Germine. Praepetibus longe te Gloria pennis
Anteuolat, nomen que tuum, praeclara que facta,
Omnibus ostendit terris, et ad aethera tollit.
O qui concentus laudum! quae nomina famae!
Te cuncti adspiciunt, atque in te lumina figunt,
Mirati augustae laudis decora alta, poetae:
Quos simul ipse sequor, non vltimus inter ouantes.






EXCELLENTIS
S. R. I. COMITI
A B H O L Z E N D O R F
COMITI CONSISTOR. ETC



Dii tibi concedant solatia, coniuge demta,
Ac longum Musis te superesse sinant!
Sic nec desperent nostrae, tua turba, Camenae,
Quae tua, Maecenas, nomina magna colunt.

Dresd. a. d. XXIII. April. A. C. N

CIDCCCXXXIX




ILLV-



ILLVSTRISSIMO IVVENI
 I O. A D O L P H O
 S. R. I. COMITI
 A B L O S S

NATALEM XIII. GRATVLATVR



Sollemni tibi quid die precemur,

Lossi, delitiae meae, et voluptas?

Nil deest tibi. Namque Dii dedere

Praeclarum genus, indolem que rectam,

Et frontis Veneres que, Gratias que.

O, qui flosculus es iuventiorum,

Dium disce frui benignitate!


Hoc voti caput: hoc tibi precamur,

Lossi, delitiae meae, et voluptas.

IPSIS KAL. FEBR. A. C. N. CIOIÖCCXXXIIII




EIDEM



E I D E M

EX RVSTICATIONE PAVLLVLM AEGROTANTI



Quid iuuat insomni noctem traducere cura?

Pone metum, dilecte puer, spes summa pa-
rentum!

Ipsa Salus, nostras cui nunc incendimus aras
Te propter, valles habitat, nemorosaque rura,
Et, quas Nympharum sedes lustrauimus, hortos.
Morborum procul omne genus; non pallida febris,
Non macies, languor que adsunt, diri que dolores.
Vos quoque laudarim, segetes, filuae que recessus,
Et te, Moene: tuis nam quid formosius vndis?
Phoebe, nec hinc aberas: O! qui citharae que lyrae que,
Herbarum que potens, istis in montibus, erras,
Huc ades, ac serua iuuenem! nam posse mederi
Te, templis suspena tuis, tot vota loquuntur.

Scrib. Francofurti ad Moenum, a. d. III. Id. Iun.

A. O. R. C I O I O C C X X X X I I I I




E I D E M



E I D E M

KAL. FEBR. A. C. N. C I O I O C C X X X V I

ANNVM XVI. BONIS AVIBVS INGRESSO



uc ades! huc propera! gratæ venere Kalendæ:

Libamus Genio candida vina tuo.


Et bene natali! dulces optamus amici:

Lux bona, sic melior, splendidiorque, redi!




16

ILLV-



ILLVSTRISSIMI IUVENIS
S. R. I. COMITIS
AB MOSCZYNSKI
NATALIS



Ergo, age! natalis faustos celebremus honores,
Carminibus, verbis que bonis: nec munera
Bacchi,

Annosi Bacchi, cyathis spumantibus, absint.

His Mosczynskiadae fit fas libare saluti.

Sis felix, soboles Dium, longum que per aeuum,
Virtuti viuas, nostris faueas que Camenis!

Scrib. Lipsiae, a. d. IV. Kal. Februar.

A. O. R. C I O I O C C X X X V I I





PERILLVSTRI L. B. A Z * *

* * * * *



ic, quem tradideram tibi, Catullum,

Sed pulcrum, nitidum que, candidum que,

Tam pulcrum, nitidum que, candidum que,

Quam nigrum, maculis que et hinc et illinc

Informem, facinus! mihi dedisti,

Ad te nunc venit, heu! tuus Catullus.

Quem si restitues meum Catullum,

Sed pulcrum, nitidum que, candidum que,

Tam tu pectora torreas puellae,


Quam dudum tua torruit puella.

Scrib. d. v. Sept. A. C. N. CIDIDCCCXXXII



C

A D



A D

PERILLVSTREM L. B. AB S * * *

LIPSIÆ A. C. N. CIOIOCCXXXI



Artifici calamum caelatum pollice donas,

Aurea quo nuper tot tibi scripta lego.

Haec quoque tentabam, tam diu te munere

laetus:

Plumbea sed nostrae tum retulere manus.

Viderat, admonuitque simul me Phoebus: amici

Quippe erat hoc, nostrum munus at illud erit.



VIRO




VIRO GENEROSISSIMO
IO. RVD. AB KIESEWETTER

POTENTISS. SARMAT. REGI AB CONSIL
AVLAE ET IVSTIT

IN VILLA SVA RVSTICANTI

A. O. R. CIOIDCCXXXIII



Dum vacat, et nostrum delectant rura Menalcam;
Nos etiam silvae, culta que villa, iuuant.

Nos petimus campos, curas et mittimus vrbis:

Rustica curarum nescit amara cohors.

Nunc caput impediunt, verno de flore, corollae,

Quas, modo collectas, candida Nympha dedit.

Saltantum que choros Dryadum, Faunos que, sequamur:


Quisquis adest, alacriter pede pulset humum.

Nec nos Arcadicae cedamus carmine turbae;

Perfonet argutum dulcis arundo nemus.

Post patula liceat captare sub ilice frigus,

Mollis vbi fesso praebeat herba torum.



Fons vbi, suadebunt faciles et ducere somnos

Nunc volucrum cantus, nunc leue murmur aquae:

Ac mille intonsis errant in montibus agnae;

Duxque caper, magnam grex sequiturque Palem.

Haec mihi iucundae contingant tempora vitae!

Ah, valeant vrbes! haec mihi rura placent.



VIRO



VIRO SVMME REVERENDO
ROMANO TELLERO
SVPREMOS IN THEOLOG. HONORES
CAPESSENTI

Nomine alieno.



Quis te, tuorum fidus amabile,
Tellere, et ingens Plissiadum decus,

Quis te ausit imbelli, fauentem

Per patriam, resonare plectro?

Te, te potenti dicere carmine

Certent poetae, te fidibus nouis,

Modis que inauditis, Camenae

Postgenitis memorare seclis.

Nam qui, priores te meritis, ferant

Aeterna vatum munera; munera,

Auro que, gemmis que, et superbis


Pontificum potiora gazis?

Tu dignus illis. Est animus tibi,

Coelique plenus, plenus et artium,

Quas, clara doctrinis, Achaia,

Et Latii peperere colles.



Quae Suada labris! quis Deus aureo
 In ore regnat! quam populus stupet
 Te, iussa pandentem Tonantis!

Quam cupida bibit aure dicta!

Sic fertur olim nobilis Orpheus,
 Dulci remittis carminibus lyra,

Silvas que, inaccessas que rupes

Haemonii docuisse montis.

Te sanctioris fama scientiae

Transcripsit astris, Eusebies decus,

Spes nostra, nostrarumque praesens

Delicium, columen que, rerum.

Inuicta, per te, Relligio suis,

Cognata coelo, fulget honoribus:

Puro que consecrata cultu,

Ara flagrat, meliore flamma.


Sic Fas, et Aequum, nuda que Veritas,

Urbem frequentant, te duce: sic Pudor,

Sic prisca Virtus, et fideles

Confociant sua iura mores.

Frustra



Frustra reluctans, Impietas ruit,
Fatale monstrum, progenies Stygis:

Scelusque non audet profanum

Candida sollicitare tecta.

O nos beatos! Psallite, plaudite,

Tanto, sodales, plaudite praefuli;

Diemque Cressis hanc lapillis,

Nec solito decorate cantu!

Nunc, nunc tot altis debita laudibus,

Tot parta factis, suscipe praemia,

Tellere! nunc sacros honores,

Ante diu meritos, capeffe!

Eia! auspiciatis muneribus frui

Donet benignum Numen, et arduos

Secundet ausus! te potenti

Incolumem tueatur astro!


Si fas precari plura, praecabimur:

Nostras tueri perge, iuuantibus

Diis, semper aras: Dii, vocati

Rite, dabunt patriae salutem.





O D E

MARCHIANIS LINCKIANIS QVE

N V P T I I S S

A. C. N. C I D I O C C X X V I I



At quid moraris, Musa? age, Lesbium
 Laeto increpemus pollice barbiton,
 Castos que Marchi Linckiae que
 Carmine sollicitemus ignes!

Io! canamus, Castalidum decus,
 Sponsum, et puellam, moribus aureis
 Notam, per urbem, plurimis que
 Muneribus Veneris potentem.

En, ille quantum, tot decorum nitens
 Effulguranti fidere, promicat!

En, cultus hic centum per artes,
 Quam peperit sibi grande nomen!

At



At Marchianae non ego nomina

Laudis, loquaci carmine, personem:

Miratur haec imbelle plectrum,

Digna cani meliore Musa.

Te, Nupta, dicam: te fatis indoles

Excelsa mentis, foeta que gloriae

Claravit aeternae creatrix,

Et populi super arua vexit,

Diuina Virtus; te Pudor et Pium,

Et, nixa suavi pondere, Comitas,

Amor que cingunt, atque nullo

Rara Fides violata fuco.

Te pulcra Diuae filia Cypriae

Ambit Venustas, terna que Gratia

Tecum hospitatur, te tuorum


Condecorant monimenta laudis.

O par beatum! o dulcia nomina!

Sonanda multo nomina carmine!

O, candidis vestros amores

Ominibus que, auibus que, laetos!




Fallorne? sancto pronuba foederi,
 Damnosa quod non imminuet dies,
 Iam Diua plaufit; iam fidelis
 Delicias thalami parauit?

Quem laeta circum dant choreas Venus,
 Ioci que mille, et mille Cupidines.

Ite, ite! iam vos sacra taedae
 Flamma vocat; geminate gressus!

Ergo beati viuite! gaudia
 Connubialis cerniti vinculi!

Videte quondam, sic vocemus,
 Progeniem numerosiorem!





SYNCHARISTICON


Q V O

VIRO CONSVLTISSIMO

IOANNI WENDEL. NEVHAUS

SVPREMOS IVRISPRVD. HONORES

ADEPTO DICTVM FELICITER



Nec te filebo, Nihufides, patrum

Ortus bonorum sanguine, et inclitus

Laudum que virtutumque plenae

Stirpis honos, Themidis que splendor.

Nec te filebo: reddite barbiton,

Festo, Camenae, reddite barbiton

Cantu sonorum, iam que sacros

Eloquii referate fontes.


O te canendum! Natus ad ardua,

Heu! quam citato pectoris impetu,

Coetus que vulgares, et vdam

Spernis humum, superas que maior

Arces



Arces subintrás ! Te scoboles Deum,
 Virtus, et ardor laudis, et indoles
 Erecta, perpulcros in ausus
 De teneris animauit annis.

Iam tunc auarus laudis, et artium,
 Et vitam inertem viuere nescius,
 Sollers legebas, quidquid olim
 Cecropiae tenuere Musae:

Quicquid Latinis Pallas in atriis
 Pulcrum, inuidendum, non imitabile,
 Sermone produxit pedestri,
 Seu numeris, fidibus que Phoebi.

Illis docebas ominibus puer,
 Qui sis futurus. Quippe aquilae vigor
 Se prodit in nido, et leonum
 A tenero calet vngue virtus.


At mens, et alti dos data spiritus,
 Et copiosae cura scientiae
 Infomnis, et famae cupido,
 Et decorum generosus ardor,

Vires



Vires ab annis duxit euntibus.
Nunc et sagaci Pierium manu
Tractasse plectrum, nunc Quiritum
Dulce loqui celebraris ore.
Nunc te, secundis vsque laboribus,
Senes que leges, et minitantiã
Edicta, maiorum que iussus,
Plissiacns, Batauus que, vidit
Hauisse Pindus: vidit, et vndique
Laudum tuarum plausibus insonat;
Themis que vidit, tot peractis
Nobilibus recreata coeptis.
Maeste, o verendae Iustitiae facer
Mystra! auspicias tendere nisibus
Numquam remittes, quo petenti
Aetherei patet orbis aula.
Vides, vt, albis veeta curulibus
Mascouiani Gloria nominis
Cognata conscendit Deorum
Teeta, caput Superis que miscet.


Dii



Diis plenus, illam mox propera aureis
 Aequare factis, protinus aemuli
 Immensa laturus laboris
 Praemia, consimilem que laudem.

Vt purpurarum clarus honoribus,
 Iam nunc refulges! Mitraque nobilis
 Vt te ornat, innupto que gemma
 Irradiat digito marita!

O te beatum! Sic faueant tibi
 Longum merenti candida numina!
 Sic te secudent; mellibus que
 Te faturent, cyathis que Phoebi.



A D E V M D E M

Nomine alieno.



Dum tibi festiua, carissime, carmina luce,

Carmina Romuleis scribere tento modis:

Dum titulos, amplosque, tibi qui dantur,

honores,

Dum que tuas laudes dicere Musa parat:

Ne dicam laudes, ne scribere carmina tentem,

Ponere iam calamum, me que filere iubes.

Eloquar, an fileam? simul et iuuat esse loquutum:

At tu dum prohibes, et tacuisse iuuat.

Te tacuisse iuuat, praeclara que nomina famae,

Quum non apta tuis laudibus ora geram.


Nouimus, ingenuas quantum puer hauseris artes:

Et iuueni studium, mens que virilis, erat.

Nec mora: seu condat, seu sol caput exferat vndis,

Adfuesti doctis inuigilare libris.

Ante



Ante alia, Ausonias tibi dulce reuoluere leges,

Et consultorum tot monumenta, fuit.

Nec minus ardebas, vernaeula noscere iura,

Et quae Saxonides iussa dedere Duces.

Plura quid adiiciam? nil non didicisse lubebat,

Et venit utilitas, et decus, vnde tibi.

Viderat egregios, sublimi ex fede, labores

Sancta Themis, nostri fida magistra chori.

Viderat: et plausit visis, et, laeta videndo,

O! quoties dixit: Postmodo qualis eris!

Scilicet excultus studiis, legumque peritus,

Eximium nostra nomen ab arte feres.

Tantumque feres mox praemia pulcra laborum,

Insignes titulos, purpureumque decus.

Fatidicam Themidem! sua sunt oracula Diuis:

Ille es, quem memini te cecinisse Deam.

Iam rutilo fulgore micas, fructusque perennes,

Quos labor, et virtus promerere, capis.

Adgredere o magnos, nil te remoratur, honores,

Frater,



Frater, et o animae portio magna meae!

Adspice, tam faustis laetentur vt omnia rebus:

Ferreus, haud illis qui moueatur, erit.

Et Themis, et Patrum gaudet sanctissimus ordo;

Adplaudit meritis docta caterua tuis.

Vos que exultatis, patrii, mea cura, Penates,

Ante alios; felix sit que, iubetis, honos.


Sic tibi contingant gratissima tempora vitae!

Sic votis habeas fata secunda tuis!




D

I N



IN OBITVM
 VIRI NOBILISSIMI
 CHRISTIANI NEVHAUS
 ELEGIA

A. C. N. C I O I O C C X X X X



Huc ades ad lacrimas, Elegeia, flebile carmen!

Huc ades, ad gemitus huc gemebunda veni!

Ferales habitus, inuisum que indue peplum,

Et volitent sparsae, scissa per ora, comae.

Occidit, et tristi iacet ossa reconditus umbra,

Nihufius, columen gentis, et vrbis amor.

Occidit, adtonitos nec curat, vt ante, Penates:

Stat domus a domino moesta relicta suo.

Ille, inter ciues, quo non seruantior aequi,

Ille, tuus, Probitas candida, vixit honos.

Vixit et exemplum virtutis: vixit, et idem

Semper laude recens, laude superstes, erit.

Viuitur



Viuitur aeternum meritis; mors corpora tollit;

Nec fugies votis, nec pietate, rogam.

Heu! vetat immites Parca inuida flectere leges;

Iniicit in quemquam, ceu sua iura, manus.

Nec te, sancte senex, nec te tua plurima virtus,

Nec rapidae pietas eripere neci.

Nec poterant lenire preces fata, horrida fata;

Nec poterant atrum pellere vota diem.

O, quoties, timidus tendens ad sidera palmas,

Sidera dura rogo, sidera dura queror!

Et queror auersos, quondam mea Numina, **Dios,**

Et queror in nostras tristia regna vices.

Et modo carminibus, (placantur carmine Diui)

Ad mea tentabam vertere vota Deos.


Vota ego, Dii facio, (damnetis vos quoque votis!)

Dii, valeat longum tam mihi dulce caput!

Tum cadet addictus modo candidus agnus ad aras,

Et modo splendet thuris honore focus.

Tum que merum fundam pius, adfigamque coronas,



Adiiciam titulum muneribus que meis.
 Cur ego non tetigi Superos? quid fulmina mittunt?
 Hostibus ah! noceant fulmina dira meis!
 Quid precor infelix? Volucres vota irrita venti,
 Per mare, per terras, diripienda ferunt.
 Occubuit: neque enim praesagia falsa monebant,
 Pallor et insolitus funeris augur erat.
 Heu mihi! quas febres, quo vidimus agmine morbos!
 Plurima terrebat mortis imago torum.
Ite, piae lacrimae, nunc ite frequentibus vndis;
Ite, rigate genas; ite, rigate finus.
Ite: iuuat socios lacrimis confundere fletus,
 Natorum pietas queis lauat ossa patris.
 Proh, miseros natos, infausta que funera patris!
 O pater! o, tecum gaudia quanta ruunt!
 Adspice, si qua mouent sacros mortalia manes,
 Adspice funestam, post tua fata, domum.
 Totque in ea lacrimas, passis que tot ora capillis
 Adspice, tot trepida pectora tunsa manu.

Ah,

Ah, modo quid valeant planctus, crines que soluti!

Ah, modo tot gemitus te reuocare queant!


At iam, parte tui meliore, receptus ad astra,

Astra inter, Superum gaudia summa capis.

Dimidium que tenet tellus: teneat que sub aequo

Pondere, nec durus degrauet ossa lapis!





CLARISSIMO K * * * A. M




Promissum tibi mittimus libellum,
 Incomtum, lapidem que, caudicem que,
 Plenum pulueris, atque aranearum,
 Et si quid magis est eis inane.
 At nostro capiti, caue, impreceris;
 Peccatum nihil est, amice, nobis,
 Promissum tibi mittimus libellum.

Hic et pagina non legetur vlla,
 Et versus tibi non legetur vllus:
 Hic et littera non legetur vlla,
 Absque frigore, tussibus que centum.
 At tu tam bonus es, mihi que carus,
 Tam carus mihi, quam tibi Camenae,
 Flos sodalitiū, decus que, nostri,
 Istis, si sapias, abstineto nugis.

Scrib. Dresdae, d. XIX. Octobr. CIOICCCXXXIII




POLI-



POLITISSIMO E * * *

QVVM EI ILL. MENCKENI CARMINA
TRANSMITTERET



En! tibi Menckeniae cultissima carmina Musae;
Carmina Romani sic cecinere viri.

Haec nos delectant vacuos: his vtere mecum;


Et mecum Clario dic bene, amice, choro.

Scrib. Lipsiae a. d. vii. Id. Nou.

A. O. R. CIDICCCXXXV




A D



AD AMICVM

A. C. N. CIDIDCCXXXII




* * dulce mihi, meisque nomen,
 * * si sapias, ut sapias profecto,
 Ventis ocior, oppido aduolabis,
 Et quasdam tibi cogitationes
 Gratas accipies tui sodalis.
 Quamquam te retrahet puella bella,
 Nigris illa oculis puella bella,
 Ore purpureo puella bella,
 Bella moribus, atque bella verbis,
 Illa bella puella, tota bella.
 At tu, si sapias, ut sapias profecto,
 Ventis ocior, oppido aduolabis,
 * * dulce mihi, meisque, nomen.





AD AMICVM

A. C. N. C I D I O C C X X X I X




* * * Aonidum decus fororum,
Et pars magna sodalium meorum,
Fac, ad me venias, cadente sole:
Fac, tecum veniant tui lepores,
Tecum, quidquid habes facetiarum.
Poscit Hesperus hic tuos lepores,
Poscit, quidquid habes facetiarum.
Eia! rumpe moras tenaciores;
Te Daphnis vocat, et cupit vocata
Te iam fusca Chloe, brevis que Phyllis,
Et, cum Doride candida, Lycoris.
Eia! rumpe moras; adesto, adesto,
* * * Aonidum decus fororum!





QVVM CATVLLVM SVVM, EX MVNI
FICIENTIA INDVLGENTIS. MAECENATIS
NVMO AVREO GRAVEM IN MVSEO
INVENIRET

* * * * *



Sic vos, aureoli sales Catulli,
Sic vos, aureoli sales Tibulli,

Et cultae adfiduum legant puellae,
Et quantum est iuuenum politiorum!
Nam quid pulcrius est, benignius que,
Istis aureolis, Catulle, donis,
Istis aureolis, Tibulle, donis,
Quae vestri referunt mihi libelli?

Saluete, o lepidi mihi libelli,
Et gratum mihi ter quaterque donum!
Saluete, o nimium manus benignae,
Per quas sic lepor est meis libellis!

At vobis tunicas dabo, libelli,
Comtas, aureolas que, splendidas que,
Vt splendent numeri mei Tibulli;
Vt comti bene sunt sales Catulli;
Vt sunt aureoli mei que numi.



EPIGR



EPIGR. GRAEC. LIB. VII. EP. CXXXV *

* Τέσσαρες αἱ Χάριτες, Παφία δύο, καὶ δέκα

Μῦσαι:

Δερκυλὶς ἐν πάσαις, Μῦσα, Χάρις, Παφίη.

*

*

*

Bina Venus; Charites quatuor; bis quinque Camenae:

Omnia Dercyllis, Gratia, Musa, Venus.


* Laudat hoc epigramma, elegantiam que illius, ac vim, exponit BOVHOURS dans la Maniere de bien penser, p. 156. (edit. nou. de An. 1739.) Verba eius sic habent: On ne compte ordinairement, que trois Graces, une Venus, et neuf Muses. Il - y - a de la delicatessé à en augmenter le nombre, pour faire de Dercyllis une dixième Muse,

une seconde Venus, et une quatrième Grace. De reliquo, hoc ipsum epigramma expressit ACTIVS SANNAZARIUS cuius, ad Cassandram Marchesiam, carmen, Lib. III. Epigr. 2. tale est:


Quarta Chavis, decima es mihi
Pieris, altera Cypris,
Cassandra, una chovis addita
Dina tribus.















A D



A D R O S A M



Seu petis dextram, magis aut foueri

Pectore gestis :

Quo iuuat, vadas, Venere haud iniqua;

Plena iucundi placeas odoris,

Sentiunt qualem, per agros, Sabaei,

Flore beatos.



LitLat ver A 666

